



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De  
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,  
Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Ochus rex.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

**A**demque argumento cum superiori, quod nonnulli Jonicum figmentum putant, ceterum pictorum & sculptorum ingenio variatum. Alterum tamen hoc patremfamilias frugi, familiam vero prodigam & perditam ostendit: nimirum enim nodum plicare, significat congerere, accumulare, rem facere: dissolvere vero, destruere, disperdere atque prodigere. Sane apud Plin ubi opera Aristolai Pausiae filii recensentur, inter alia est piger qui appellatur Ocnos spartum torquens, quod asellus abrodit: quamquam hoc eo significato accipi potest, ut ignavorum opera excipi a pernici intel- ligamus.

## BONUM OMEN. CAP. XIX.

**Q**uod vero simulacrum & Asini & Asinarii aeneum est ab Augusto dicatum, utriusque nomen in causa fuit, quod ab his ipse victoriae praesagium cepit, cum apud Actium ei in aciem descendenti facti obviam essent, agasinique; nomen Eutycho esse, bestia vero Niconi intellexisset: quid enim non bene ominaretur victoriae nomen bonae fortunae junctum? Sed habuit augurium hoc aliquid quod movere posset, cum tam speciosa essent nomina: quid autem in illo fuerit, mirum est, quod **C.** Mario apud Fanniam Minturnis custodiae credito, Asinus, qui ruditu quodam ingenti vociferatus fuerat, in domum ejus a fonte cursu rapido profectus, sperandae salutis maritimo itinere augurium dedit. Jam & in augurali si quis aegrotet, vidisse Asinum qui a lapsu se sustulerit, indicat eum convalitutum, in omnibus dicente quopiam, *Viden' ut Asinus sese erexerit*: decumbentem indicat surrecturum.

## VINITOR. CAP. XX.

**N**e tamen animalis istius stuporem, segnitiam & ruditatem usquequaque deludamus, grati animi opus fecerimus, si qua nos parte juverit, exposuerimus, & illi pro merito gratias habuerimus. Siquidem vineas colere non alio nos doctore didicisse, nonnulli tradunt, quam Asino, quando is putandarum vitium & author & praemonstrator fuerit. Nam abroso ab eo vitis palmite, vindemiam inde teraciorem provenisse observatum est: idque summa secuti diligentia mortales, latior rem sibi quotannis proventum compararunt. Ejus rei monumentum Naupliae spectabatur, ubi lapideus Asinus grata posteritatis memoria dedicatus fuerat. Huc illud addam, quod is neque mortuus quidem officium facere desistit: siquidem Vadimonius compertum ait, calvariam ejus in hor- torum medio depositam, ad loci fertilitatem facere.

## OCHUS REX. CAP. XXI.

**O**chum autem Persarum regem *ἰσχυροφικῶς*, per Asini simulacrum in primis Aegyptii notave- re, qui cum maxima intercedebant odia, ut fieri solet, inter eos qui de imperio, deque libertate dimicant. Hic est Ochus ille avaritia in primis famosus, adeo ut urbem eandem intrare numquam voluerit, ne aureos, qui singuli singulis mulieribus ex lege Cyri debebantur, erogaret. Unum *Cyrus & O-* miror, apud Tertullianum Cyrum eundem Ochum dici, hunc inquam quem Aegyptii sceleratum *ochus* pollututumque; Asinum cognomento vocitabant, in quos ille, ut Dion scripsit, haec est retorquere solitus, *Asinus profecto vestrum devorabit bovem, Aping, ita postmodum mactavit, Asinid, eos imaginem au- ream compulit ad aure, quo nihil illi unquam ignominiosius accepere.* Falsum verò illud est, & ab omni **D**veritate alienum, quod Cornelius Tacitus tradit de Asinino capite, quo de superius, a Judaeis loco numinis habito, in quo impudentissime mentitur, & ea de causa mendaciorum loquacissimus a Ter- tulliano appellatur: ac perinde vanus est in Judaeorum origine repetenda, dum eos modo Creta, modo Lybia oriundos scribit, modo Aethiopum prolem comminiscitur, & in omnibus quae de Moyse loquitur, deliria mera ponit. Aegyptiorum autem exemplo, Clisthenes cum infestissimo Sicyonios odio prosequeretur, eorum tribus in ridicula cognomenta commutavit, eas tum *ὄατας*, tum *ὄνεάτας*, tum *χαιράτας*, appellando; *Suarios* quippe, *Asinos*, & *Porcarios*.

## LABOR INDEFESSUS ATQUE SERVILIS. CAP. XXII.

**R**eceptum & illud est, servilem laborem per Asinum clitella instratum significare, cujus rei causa magis vulgo nota est, quam verbis explicari necesse sit: quippe quod animal indefessi fit

T

labo-